Ceterum vero, quod in eiusmodi translatione alienam uxorem non abstuleris, probabilibus exemplis clarescere potest. Omitto eos, qui ante Nicenum concilium de sede ad aliam sedem translati sunt. Numquidnam Gregorius Nanzianzenus[a], homo sanctissimus atque doctissimus, ipsarum fuit eiusdem concilii, aut illud quisquam melius intellegit, quam ipse intellexisse dinoscitur. Hic enim cum unius civitatis, quae Asimia[b] dicebatur, fuisset episcopus, concilio[c] et hortatu beati Basilii et aliorum episcoporum in oppido Nanziaton[d] constitutus est; deinde Constantinopolim translatus est. Dositheum Seleucie episcopum Alexander Antiochenus episcopus in Tharsum Ciliciae demigravit. Reverentius ab Arcis Feniciae in Tyrum migravit. Iohannes de Gordo Lidiae mutatus est in Proconissum[e], et in ea praesedit ecclesia. Palladius[f] ab Elinopoli mutatus est in Aspomiam. Alexander ab alia Alionopoli[g] in Adriopolim mutatus est; [F] Theosebius ab Apamia Asie transfertur in Eudoxiopolim, quae dudum Salambria vocabatur; Policarpus de Urbe Antapristena Misie in Nicopolim Tracie mutatus est. Ierophilus de Trapezopoli Frigie[h] in Antiochia migravit. Optimus ab Agardamia Frigiae in Antiochiam Pisidiae migratus est [i]. Silvanus a Philippopoli Traciae mutatus est in Troadem. Perigenes in Petris est ordinatus episcopus; sed quoniam cives eiusdem civitatis eum suscipere noluerunt, Romanae civitatis episcopus iussit eum inthronizari in Corinthum metropolim, defuncto eius episcopo; ipse donec advixit ecclesiae praefuit. Eusebius itaque Pamphiliae in sexto historiae ecclesiasticae libro Alexandrum unius Capadotie civitatis episcopum refert, qui cum venisset causa orationis Hierosolimam, tentus sit ab eius civibus et in locum Narcissi episcopi constitutus, et de cetero omni vitae suae ~~tempore~~ ipsi ecclesiae presedisset. Germanus archiepiscopus de metropoli Zizico translatus est Constantinopolim, in qua translatione presbiter sanctae Romanae ecclesiae apocrisiarius, nomine Michael, talem fecit sermonem: Divina etenim gratia, quae dignatur infirma erigere et incompleta complere,

[F] Meletius prius in Sebastena ecclesia praefuit, et postea Antiochiae praesul est constitutus [a].

Margin notes:

[a] ~~nanziaz. cod.~~

[b] Sasimia 3

[c] consilio 1.

[d] Nazanzo 3

[e] procinixum 1.

[f] pallidius 1

[g] Helionopoli 3.

[h] Fisie 1.

[i] opt– est in l. abscisa ~~hic codicis scriptor lineam omisit, sed in margine supplevit ipse signo illam indicans, sed cum codex novum tegumentum acciperet, abscisa est, ut densissime textus infra supponere~~. Optim f. 129'

[k] vite sue i. e. pref– disse 1. ~~dedisset cod.~~

[a] defuncto 1